

573 Dis. XV. Part. VI. de statu separ: ani: ratio: 574

quando amissura corpus, ergo habet ex se quod  
sit permanens in statu separationis à corpore,  
ille ergo status non est illi violentus, nec supra  
natum, cùm ad illum sit ordinata.

Ex quibus tamen rationibus infertur tan-  
tum quod in anima amissio corporis non sit illi  
naturalis primariò, sed solum secundariò; ha-  
bet enim primariò, quod informet corpus, sed  
quia illud corpus est corruptibile & amissibile,  
ideò habet ipsa anima rationalis propter suam  
immortalitatem ut naturaliter perseveret post  
amissionem corporis, vnde ille status animæ se-  
parata est ipsi naturalis secundariò, & consecu-  
tiuè.

*Verisimilis  
est animam  
separatam  
resinere or-  
dinem ad  
corpus.*

An verò anima separata retineat semper  
ordinem ad corpus. Scotus in 4. dis. 43. quaest. 3.  
art. 3: existimat quod non: verisimilis tamen  
est quod sic, non quidem in actu secundo, sed in  
actu primo; quia cùm anima sit forma, habet  
semper ordinem aliquem ad materiam, nec tam-  
men ob id dicenda est violenter remanere à  
corpore separata, nec imperfecta, & ratio est;  
quia forma, quæ nullam perfectionem recipit ex  
coniunctione cum materia, non dicitur esse vio-  
lenter, nec imperfecta, dum est separata à ma-  
teria; anima autem rationalis nullam recipit  
perfectionem ex coniunctione cum materia,  
ergo &c.

Appetit ergo anima separata appetitum quo-  
dam innato reunionem corporis, non verò ap-  
petitum elicito, qui appetitus ad voluntatem in  
homine spectat; quia voluntas nihil appetit, nisi  
in ratione cogniti, at intellectus cognoscit non  
esse possibilem naturaliter reunionem corporis,  
sed tantum supernaturaliter, ergo illam natura-  
lem reunionem non appetit naturaliter volun-  
tas ipsa anima separata. Vnde non mirum, si ani-  
ma separata non possit reuniri suo corpori, cùm  
talis reuatio sit impossibilis naturaliter.

*Num. 19.  
Anima rat-  
ionalis  
habet vim  
motricem  
spiritalem.*

*Resolutio secunda:* Anima rationalis ha-  
bit vim motricem spiritalem: Probatur primo:  
quod in alio mouetur & per se potest; illud  
moueri per se potest: sed anima rationalis mou-  
etur in alio, & potest esse per se, ergo potest  
moueri per se, igitur per potentiam motuum.  
*Secundo:* si non habet potentiam motuum, hoc  
prouenit eò quod sit spiritualis, sed ex eo quod  
sit spiritualis non debet destitui illa vi motrice;  
maiòr Durando conceditur: minor verò prob-  
atur; quia Angeli, qui sunt entia spiritualia, ha-  
bent vim motricem & mouentur per se, vt doc-  
tent communiter Theologi in materia de An-  
gelis, & in sacra scriptura dicuntur Angeli ascen-  
dere, & descendere, quod indicat vim motri-  
cem. *Tertio:* perfectissimum viuentis debet per  
se moueri: sed anima rationalis perfectissime vi-  
uit, ergo per se mouetur; nam per se moueris est  
proprietas viuentis, nec debet per se denegari,  
quod per se conceditur bruis. *Quarto:* ideò  
Deus est immobilis; quia est immensus, ergo  
quia Angeli non sunt immensi, sed finiti, de-  
bent esse mobiles; si enim negatio sit causa ne-  
gationis, affirmatio quoque erit causa affirmati-  
onis, ideòq; si ex eo quod Deus est immensus,  
sit immobilis, sequitur quod, quia Angeli non  
sunt immensi, sint mobiles, cùm sint viuentes.

*Obij. prim.*

*Obij. tamen pro Durando: Indivisiibile*

non habet motum: sed anima rationalis est in-  
divisiibile, ergo non habet motum: minor pa-  
ter: maior probatur, quia motus de se est diu-  
sibilis, ergo non potest subiectari in re indivisi-  
bili.

Respondeo rem indivisiibilem non posse *resp.*  
moueri per se motu continuo, benè tamen mo-  
tu discreto, sicut docent communiter Theolo-  
gi post D. Thomam Angelos moueri motu di-  
scerto, & non continuo, dum mouentur per se,  
dum verò mouentur per accidens, hoc est ratio-  
ne alienius corporis mouentur motu continuo,  
sed est sermo in praesenti de motu per se.

*Obij. secundo:* si haberemus potentiam *obj. secund.*  
motricem spiritalem, illa nobis innotesceret,  
dum anima est in corpore, scicè posset eleuare  
suum corpus: deinde anima separata possent  
redire scipis ad sua corpora.

Respondeo illam vim motricem impediti *resp.*  
à corpore, ne nobis innotescat: Adde quod fe-  
runt de Platone, & quibusdam alijs, quod per  
maximam, & vehementem attentionem eorum  
corpora è terra aliquantulum eleuarentur, quod  
fiebat per illam vim motricem: Ad aliud dico  
virtute diuinâ impediti animas, ne redeant ad  
sua corpora; dici quoque potest à priuatione  
ad habitum non dari eundem numero regres-  
sum; aut quod ficeat à Deo anima creatur, & vi-  
turi corpori à Deo, ita post separationem à cor-  
pore non possit ipsi reuniri, nisi virtute diuinâ,  
sed hoc tangit difficultatem de resurrectione, an  
videlicet reproducatur corpore anima ipsi reunia-  
tur se ipsa? sed de hac re in 4. sentent. ex professo  
Theologi.

An verò illa potentia motrix sit facultas di-  
stincta ab intellectu & voluntate: alij negant:  
alij affirmant; sed quia hoc quæsumus concini-  
dit cum eo, an scilicet potentia motrix Angeloi-  
rum sit distincta ab eorum intellectu, & volun-  
tate: ideò coniodiūs, dum in Theologia de An-  
gelis erit sermo, discutetur, huiusmodi enim po-  
tentia spiritalis animam separatam respicientes  
à Physici inquisitionibus deuant.

Inquiremus tamen hic, an quando anima  
egreditur à corpore, per illam potentiam mor-  
talem properat ad locum sibi destinatum, an eo  
modo, quo Augustinus Nyphus de immortalitate  
anima cap. 74. vult animam deferri ad locum si-  
bi destinatum impetu quodam similitudinis ab  
que confilio, & aduenturia? si enim anima sit  
in gratia; cùm gratia habeat similitudinem cum  
gloria, ideò anima statim attrahitur à gloria: si  
verò sit in peccato mortali, attrahitur à loco in-  
fecto peccatis, id est ab inferno non secus, ac  
ferrum attrahitur à magnete: Ad purgatorium  
verò attrahitur à poena: quia debetur adhuc  
poena, & ille locus est locus poenæ.

Diuinus tamen Bonaventura in quarto vult  
piorum animas deduci ad Coelum per Angelum  
cuiusmodi, & impiorum animas ab Angelis ma-  
lis ad infernum.

Ex ultimo tamen verius animas scipis de-  
ferri ad locum sibi destinatum; quia cùm ha-  
beant, vt vivum est, potentiam motricem, illæ  
debent vti illo tempore, non nego tamen, quin  
Angelus custos comitetur animam, festinante  
ad

*Num. 19.  
Quomodo  
depravata  
anima resa-  
rita ad suum  
locum pro-  
prium?*